

De explicito et implicito.

1. Explicitum simpliciter et explicite cognoscitur et explicite dicitur.

Explicite cognoscitur quod in se clare distincteque concipitur et aut affirmatur aut negatur.

Quare non explicite cognoscitur quod (1) non in se sed in alio cognoscitur vel (2) non ex parte obiecti vel non per intellectum cognoscitur.

Explicite dicitur quod propriis nominibus verbisque in recto dicitur enuntiatur.

2. Implicitum est quod vere quodammodo sed non explicite vel cognoscitur et vel dicitur.

Modos fundamentales quibus invenitur implicitum distinguimus quattuor: litterarium nempe, logicum, psychologicum, et gnoseologicum. Quibus postea accedunt modi compositi, nempe, historicus, religiosus, theologicus.

3. Litterarie implicitum dicimus quod ratione enuntiationis ab explicito deficit.

Est ergo quod non propriis sed translatiis dicitur nominibus verbis, quod in obliquo ponitius quam in recto ponitur, ad quod fit allusio, quod paucis tamquam notum recolitur, quod suggeritur, quod intenditur et intelligitur quin tamen dicatur.

4. Logice implicitum dicimus quod in alio explicite cognito logice continetur.

Illud contingit logice in alio quod ex alio concluditur necessario sive per modum consequentis sive per modum praesuppositi.

5. Psychologice implicitum dicimus quod in se cognoscitur sed potius per intersubiectivitatem quam quamdam seu empathiam quam per intellectum et sub ratione entis, intelligibilis, et veri.

Alios scilicet intelligimus et cognoscimus duplicitur: primo modo, per signa articulata, quibus communicatur quod sub ratione entis, intelligibilis, veri ab intellectu attingitur qua in cognitione requiruntur ut aliis non decipiatur neque mentiatur et ut ipsi intelligamus et sapiamus;

alio modo, inquantum ipsam aliorum experientiam quodammodo participamus, sive quia ipsi similia experti sumus, sive quia naturali quodam animi motu quasi sentire possumus quid sentiremus si similia experiemur;

inter empathiam et sympathiam (compassionem) illud intercedit quod sympathia veros animi motus realiter in nobis inducit, dum empathia magis notitiam status alterius generat quam similem quodammodo statum in nobis reproducit.

*psychiatrus et tutor
concupiscentia et empathie*

sympathia : sympathia :: imaginatio : sensus | non imaginatio sensatio, mea sed alterius

5 Implicitum psychologice continuatur

Scilicet homo est spiritus incarnatus: unde cognitio humana dupli componitur elemento, alio magis spirituali et intellectuali, alio autem magis corporali et sensitivo

Utrumque elementum et complet et exigit alterum

Sed alia et alia mensura fit duorum mompositio: cf. opus dramaticum scriptum et lectum et idem opus representatum, visum, auditum; similiter, tractatum et lectionem coram; amicorum epistulas et eorundem praesentiam

Iam vero scientia psychologica progrediente, explicite cognitum fit per conceptus et iudicia, quod iam per ipsam vitam implicite vivendo, experiencing cognoscitur

Iterum, qui verba alterius audit vel scripta eius legit, in iis explicite dictis vel scriptis aliud invenit psychologice implicitum, nempe, loquentis vel sribentis motus animi, sentimento, humanitatem.

Quod psychologice implicitum ipse forte vel implicite tantum cognoscit vel, si psychologus est, etiam explicite concipit et affirmat.

Quibus perspectis, dicendum est illud esse psychologice implicitum quod

- (1) per scientiam psychologicam fit explicitum
- (2) implicitum est in quantum cognoscitur sed non per sub ratione entis, intelligibilis, veri
- (3) potest implicite a loquente et sribente cognosci, implicite communicari, et implicite ab audiente vel legente cognosci [unde arcte connectitur cum implicito litterario sincero]
- (4) brevi dicitur elementum resonantiae, humanitatis, intersubiectivitatis, sensibilitatis, empathiae, sympathiae, artis
- (5) quando explicite cognoscitur et dicitur, quedammodo potius tollitur quam confirmatur.

6. Gnoeologice implicitum dicimus quod in se cognoscitur et per intellectum, non tamen sub ratione entis, intelligibilis, veri, sed sub ratione experti.

Est illa admiratio quae initium dicitur omnis scientiae et philosophiae

Est inquisitio intelligens, experientia intelligendi, emanatio intelligibilis verbi, reflexio critica, intelligibilis emanatio iudicii, experientia principii liberi, responsabilis, moralis, experientia conflictus, tensionis, vincentis vel victi

Est notitia subiecti qua subiecti.

Est id quod fit explicitum cum ex parte obiecti ponuntur logica, epistemologia, metaphysica, ethica, psychologia rationalis, naturale desiderium videndi Deum per essentiam